









DISPVATIO 1593  
DE EPILEPSIA: 3  
IN ILLVSTRI IVLIA.  
PROPOSITA

à  
FRANCISCO PARCOVIO  
Rostochiense  
Phil. & Med. Doct. ac Professore  
ordinario.

quam  
*Ad diem Deo volente 22. Martij publicè defendere  
conabitur.*

GEORGIUS RVMBAVM  
Vratiflauiensis.



HELMAESTADII  
Excudebat Iacobus Lucius, Anno 1593.





VIRO  
GENERE RE ET VIRTUTE  
MAGNIFICO NOBILIS-  
SIMOQVE.

DN ERASMO MVLLER  
IN LISSA. CROLKOVVITZ.  
Malckovvitz. VVeigvitz. &  
Kraicka.

DOMINO ET MECOENATI SVO  
*summè obseruando.*

D. D.

R.





THESIS I.



Disputationem de Conuulsione è vestigio excipit illa, quæ est de Epilepsia. Est enim vna ex Conuulsionibus quæ per consensum fiunt.

2. Consensus hîc bifariam accidit, vel quia cerebrum ipsum primariò est affectum: cætera vero per consensum adficiuntur: vel quia aliqua neruosarum partium primariò adfecta, cerebrum primùm in consensum trahit, mox ab ipso conuulsionis adfectus in vniuersum corpus deriuatur. Id quod in differentijs Epilepsiæ paulo post manifestum erit.

3. Epilepsia varia obtinet nomina. Hippocrati morbus puerorum. Galeno Hercules, alijs Sacer. Vndè & Cornelio Celso maior. Comitialis alijs etiam caducus, Sonticus & Lunaticus. Plinio morbus qui despuitur dicitur.

*l. de ac.*

*Aq. & Lo.*

*6. Epid. 6.*

*part. 7.*

*C. l. 3. c. 23.*

*l. 10. Hist.*

*an. c. 23.*

4. Verum cum non tam nostri instituti sit, huic adfectui idoneum nomen imponere, quàm eius essentiam, differentias, causas & signa inuestigare, his prætermittis ad alia nos conferemus.

5. Definitor Epilepsia à Galeno, quod sit conuulsio omnium corporis partium non perpetua sed quæ ex temporum accidat interuallis, cû mentis ac sensuum læsione.

*3. de l.*

*Adf. c. 7.*

6. Conuulsio in definitione in latiori significatione nominis sumitur, ita vt per eam conuulsiuus motus, concussio & conquassatio partium intelligatur.

7. Vera enim Conuulsio præterquam quod perpetua est & tantum contractionem habet, à solo morbo celebratur.

*2. de Can.*

*Symp. 1.*

8. Epileptica verò conuulsiua concussio interpolata contractionem & extensionem habens, à naturâ, quæ ir-



ritata à morbo, ea quæ negotium ei faceffunt exturbare conatur, prouenit atq; emanat.

9. Per mentis læfionem omnium principum facultatum noxam intelligi, Paulus Aegineta, explicat. Imò & ipse Galenus afferit in Epilepfia omnes aétiones reétricis partis cohiberi: quos paulò antè dixerat Imaginatricem Rationatricem, & Recordatricem.

10. Principum igitur facultatum & fensus ac motus offenfio, fatismanfèftè coarguunt, in omni Epilepfia locum adfectum effe cerebrum. Id quod præter Galenum, Aetius Trallianus & Paulus. cap. de Epilepfia confirmant.

11. Tres Epilepfiaè differentias vel fpecies Galenus facit: quarum prima, quæ eff frequentiffima, vitio ipfius cerebri contingit, & omnium grauiffimas & longiffimas concuffiones facit, craffum humorem fpiritus vias in Cerebri ventriculis obftruentem, autorem habet.

12. Craffum dicit humorem, qui laborantem particulam obftruit: idq; propter velocem eius difcuffionem. qui enim tenuis eff, cum fe in partes penitus infinuet, altiusq; penetret, difficilium & tardius extruditur, atq; euacuatur.

13. Probatur hoc exemplo tuffis, quæ facilius & citius expectorat humores craffiusculos quàm tenues. Sic & longe citius & facilius euomuntur humores craffi os ventriculi occupantes quam fingultu reijciuntur tenues, qui in tunicas eius penetrarunt.

14. Humor autem qui fui craffitie obftructionem efficiere poteff, raro fanguis, plerumq; pituitofus erit, aut melancholicus. vnde ab Hippocrate dictum eff. Melancholici magna ex parte morbo comitiali adficiuntur, & contra morbo comitiali laborantes, efficiuntur melancholici.

15. Non autem mirum, humorem melancholicum abundan-



bundantem modò hunc, modò illum morbum producere. Si enim Cerebro vt parti Instrumentali nocet, obstructionem Epilepticam pariet. Si verò Cerebrum vt similem partem lædat, intemperie sua Melancholicos procreabit. Sic enim Galenus satis obscuras Hippocratis phrales, ad cerebri corpus conuerti & repere in mentem, interpretatur.

16. Sic alios stolidos & hebeti mente ex Epilepsia factos à Practicis annotatur, quorum morbus à pituita originem habuisse non obscuris indicijs colligitur. *Iacob. super Rhasem cap. de Epilepsia. Forestus. l. 10. de Cerebri mor. obs. 55.*

17. Secunda species Epilepsiae frequentior, est, cum Cerebrum ventriculo & potissimum ori eius consentit: quam speciem habere magnam similitudinem Symptomatum suffusionis, quæ à ventriculo procedit, Gal. l. c. iudicat.

18. Ad hanc speciem referimus eam, quæ propter vteri consensum oritur. Vterus enim per nervos (quos satis insignes à sexto pari neruorum suscipit) cerebrum in consensum trahit: quamuis hoc reprehendat Galenus. *6. de l. Af. c. 5.*

19. Tertia comitialis morbi species rarissima est, quæ ab alia parte (excepto vtero & ventriculo) cui id fortè fortuna acciderit, incipit: & cum inuadit indicium præmittit auræ ascendentis: & postquam inuasit, non adeo grauia symptomata, vt reliquæ species, parit.

20. Huius tertiæ Epilepsiae nudam qualitatem, quæ ad cerebrum, alteratis per continuationem partibus, deferatur, causam esse, Pelopi Præceptori suo concedit Galenus. Id quod tamen vix fieri posse videtur, non quod plurimæ admirandæ actiones non agant per simplices alterationes, tum in nostris corporibus, tum extrâ illa: sed quod mala qualitas neq; obstruat: neq; alio modo influxum animalem, quem alias irradiationem quandam dicit, impediat.



*coll. ult. 21.* Sic & vnà cum Auerrhoe Auicenna immaterialem  
*c. de Epil.* Epilepsiam causam reijcit.

22. Harum specierum prima, secundum primum consensus: reliquæ duæ secundum alterum consensus modum, in initio disputationis annotatos fiunt.

*de diff. sym. 3.* 23. Epilepsia à Galeno inter symptomata numeratur: & quidem in genere noxæ functionum animalium.

*de diff. sympt. 4.* 24. Cum autem quodlibet symptoma à morbo ortum habeat, Epilepsia morbum in via siue obstructionem, sequetur, quocunq; etiam modo contingat.

25. Quod si quis in duabus posterioribus vnà cum obstructione & continui solutionem adesse contendat, ei nos non adeò opponimus.

26. De obstructione in prima Epilepsia specie nulli dubium esse potest: quamuis de eadem in posterioribus meritò quis dubitet. Hanc conniuentiam potius seu astrictionem dicunt vel occlusionem ventriculorum cerebri, quæ fit contractione circa materiam stimulantem, vt eam exturbet.

27. Quidam rectius se nominare putant obtenebriationem, in qua propter fumos & vapores tanquam medium caliginosum animalis influxus illustratione & irradiatione deferri prohibetur.

*l. 3. c. 13.* 28. Signa quæ morbum comitalem præcedunt, à Paulo recensentur. Tristitia, familiarium obliuio, turbulentæ insomniorum imagines capitis dolor & repletio asidua, maximè ex iracundia, faciei pallor & linguæ motus inordinatus: quidam etiam ipsam mordent.

29. Eiusdem inuadentis signa enumerat casum qui illis repentè accidit: & conuulsionem: quandoq; nihil significantem exclamationem Quibusdam etiam, inquit, vrina & stercus in voluntariè excernitur. Aliqui semen profundunt.

30. Præ-



30. Præcipuum verò ipsorum signum esse addit, oris spumam: cum reliqua etiam alijs morbis quodammodo communia sint.
31. Signa morbi comitialis à ventriculo orti sunt, autore Tralliano; quod continuò plerumq; in eo gignatur & turbatio & rosio. Item quod morbi accessionem, tum potius ægri sentiunt, irritanturq;, cum tardè ipsis cibum sumere aut nullum contingit. *l. 1. c. 15.*
32. Sic & de vtero discurrendum, quod in eo casu, labores, tormina, & flatus circa hunc percipiuntur. Quin & ex tensione circa pubem & suppressis menstruis idem coniiciendum.
33. Signa comitialis morbi ex alia particula contracti sunt, eodem autore, quod qui hoc modo concidunt, distributionem mali ad superiora fieri manifestò percipiunt, & id quod futurum est ipsis prædicunt, cum distributio vitij ad Cerebrum vergere incipit.
34. Signa comitialis in Cerebro excitati sunt, quod grauentur capite: oculi obscurantur & caligant, tardeq; sentiunt.
35. Epilepsia antè pubertatem a motionem recipit. post *5. Aph. 7.* vicefimum quintum annū ferè comitatur ad mortem vsq;.
36. Si qui morbi antè pubertatem inuadunt, perman- *3. Aph. 28.* serint, neq; pueris circa pubertatem, neq; fæminis cum menstrua erumpunt soluti fuerint, inueterascere consueuerunt.
37. Epilepsia laborantes pueros, cum loci victusq; *2. Aph. 45* tum maximè ætatis mutatio liberat.
28. Auerrhoes, qui Aristotelis Præceptoris sui sententiam secutus, dum asserit hunc adfectum euenire in corporibus frigidis & humidis, & quæ abundant humoribus crassis, a quibus eleuantur flatus ad cerebri ventriculos, qui



qui Epilepsiam faciunt, in curatione parùm discrepabit à Galeni indicationibus.

39. Rondeletij speculatio, quæ Epilepsiam ab humoribus tenuibus acris & vellicantibus prouenire concludit, difficultatem adfert medicam, & contrariam curandi Galeno rationem proponat, necesse est.

40. Sed ne disputatio nostra, quæ Pathologica est, limites suos superet, hic eius finem facimus.

### QVAESTIONES.

1. Quæritur. An vera sit Paracelsi sententia, qui quatuor tantùm summa morborum genera esse asserit nimirum Epilepsiam, Elephantiasin, Hydropem, Podagram?

*tractatus  
de caduco.  
§. 2. 3. &  
4. 4.*

2. An quod idem sibi persuadet, horum morborum causæ, vel, vt cum ipso loquar, Radices & seminaria sint immutabilia, quæ loco tantum non substantiâ & materia differant.

3. An secundum eiusdem Autoris placitum, Epilepsia sit morbus totius corporis, cum in ea omnes partes corporis conuellantur?

4. Et. Tandem An rectè statuatur, diuersas Epilepsiæ species in diuersis corporis partibus localem habere generationem?

### FINIS.



ULB Halle  
003 338 150

3




TA-OL

VD 77











DISPUTATIO  
DE EPILEPSIA  
IN ILLVSTRI IVLIA  
PROPOSITA

1593  
3  
à  
FRANCISCO PARCOVIO  
Rostochiense  
Phil. & Med. Doct. ac Professore  
ordinario.

quam  
*Ad diem Deo volente 22. Martij publicè defendere  
conabitur.*

GEORGIUS RVMBAVM  
Vratislauensis.



HELMAESTADII  
Excudebat Iacobus Lucius, Anno 1593.

